

PRIMI PARALI.

& Eli'ia & Zich'ri filij Terocham. Isti capita familiarum; generationibus suis capita; isti habitauerunt in Ierusalaim.

IN Ghibbon autem habitauerunt Ab' ghibbon; & nomen vxoris eius Mahacha. Et filius eius primogenitus Habdon; & Zur & Cis & Bahal & Nadab, & Gedor & Ach'io & Zacher. Et Mic'loth genuit Sim'am: & etiam ipsi ex aduerso fratum suorum habitauerunt in Ierusalaim cum fratribus suis. Nulla describitur discordia, sed localis separatio, quod isti è regione fratri suorum filiorum Ben'iamin habitauerunt in Ierusalem cù fratribus suis de tribu Ben'iamin.

Ner autem genuit Cr. & Cis genuit Saul. Nō est iste Ner pater Abner in primo libro regum; sed iste Ner est auus tū Saulis regis tū Abner, fuit enim pater & Cis & Ner: sed author prosequitur tantum lineam Saulis regis, & Saul genuit Ichonathan & Malchi'sah & Abinadab & Esoahal. Hinc appetet clare diuersitas nominum in lingua Hebraica respectu eiusdem viri: nam filius Saul qui in libro regum vocatur Isboseth hic vocatur Esbahal. Et similiter subiungitur de filio Ionathē, qui hic vocatur Meribbahal, ibi autem Mephiboseth. Quæ ideo expedit nosse, ne ex diuersitate nominum fallaris. Filius autem Ichonathan Merib'bahal, & Merib'bahal genuit Micham. Filij autem Michā: Pithon & Melech & Thaareah & Acham. Acham autem genuit Ichohadam, & Ichohada genuit Halemeth & Hazmauth & Zimri: & Zimri genuit Mozam. Moza autē genuit Binham: Rapha filius eius, Elhasa filius eius, Axel filius eius. Axeli autem fuerunt sex filii: & ista nomina eorum, Hazycam primogenitus eius, & Iismahel & Sebar'ia & Hobad'ia & Chan'an: omnes isti filii Axel. Filii autem Hesec fratris eius: Vlam primogenitus eius, Lehus secundus & Eliphelet tertius. Fuerunt autem filii Vlam viri potentes foritudine, tendentes arcum, & multiplicantes filios & filios filiorum, centum & quinquaginta: omnes isti de filiis Bin'iamin.

CAPUT IX.

Vniuersus autem Israel dinumeratus est. Hebraicē habetur, genealogizatus est: si sic licet loqui. & summa eorum scripta est in libro regum Israel & Ichude. Narrat author omnes tribus Israel secundū generationes suas recensitas & scriptas fuisse in libris regum tum Israel tum Iudea, ad manifestandum, q̄ in vro; regno adhibebatur studium ad scribendū genealogias omnium usque

ad

CAPUT IX.

144

ad captivitatem Babyloniam. Et dixit hoc etiam ad excusandum se quod non omnium meminisset: & ad citadum loca vade ipse haustis genealogias non scriptas apud Mosem & libros regum, translatisque sunt in Babel propter delictum suum. Qui autē habitauerūt primi in possessionibus & vribibus suis: Israel & sacerdotes & Leuita & Nethinai. Aduerte prudēs lector ordinē literę ex Hebraico contextu: nā ibidē sic habentur precedentia. Ecce ipsi scripti in libro regū: Israel & Ichude in captivitatem ducti sunt ad Babel in mentiri eorum. Et habitantes primi qui in possessione sua in ciuitatibus suis Israelis: sacerdotes, Leuita et Nethinai. Ex quo cōtextu appetet scribi duo. Alterum quod scripti fuerunt in captivitatē ducti in Babylonem: & q̄ non ipsi soli fuerunt genealogizati, sed etiā sacerdotes, Leuita & Nethinai qui primi habitauerūt in possessionibus suis in vribibus suis in Israel. Ita q̄ non sufficit authori narrare q̄ omnis Israel fuit per genealogias recensitus, sed explicavit q̄ etiam sacerdotes, Leuita & Nethinai fuerunt per Genealogias suas scripti. Oportuit autē horum specialiter meminister: quia cū sc̄ribebatur populus numeratus in libris regum, nō numerabantur nec sc̄ribebantur sacerdotes & Leuita: ut pote exempti secundū legem Mosis. Nethinai quoq; quia nō erant ex genere Israel nō comprehendebantur sub nomine Israel. Dicendo autē primi qui in possessione sua in vribibus suis, manifestat se loqui de sacerdotib⁹ & Leuitis post ingressum terrae promissionis: ad differētiā sacerdotū & Leuitarum ante ingressum terrae promissionis, quorum numerus scriptus est à Mose. Nethinai vero Ghabaonit⁹ dicuntur. sonat enim dantes seu datos: quia illi se dederunt Israelitis, & ipsi sunt dati in seruitutem templi Dei. Nec te moueat q̄ post narratum vniuersum Israel recensitū subiungitur quod fuerunt ducti in captiuitatem in Babel: quoniam sensus est q̄ postremō fuerunt ducti in captiuitatem Babel, ita quod consummatio captiuitatis scribitur.

Commorari sunt in Ierusalim de filiis Iudea. Iuxta Hebraea post supradicta immediatē subiungitur. Et in Ierusalaim habitauerūt ex filiis Ichude & ex filiis Bin'iamin: & ex filiis Eph'rāim & Menassis. Et statim appositiū subiungitur. Huius filius Hāmihud filii Homri filii Imri filii Bani, de filiis Perē filii Ichude. Narrare intendit (vt initium, medium ac finis testantur) prærogatiā ciuitatis Ierusalē quo ad hoc q̄ aliae vribes cōtentarē

PRIMI PARALI.

erant habitatoribus suæ tribus, Ierusalem autem habuit habitatores diuersarum tribuum à principio quo filij Israël obtinuerunt terram promissionis. Vnde & inchoat ab Huthai viro de tribu Iudæ patet enim in libro Iosue tribù Iudæ primum obtinuisse Ierusalē. Et de Siloni, Hæs'ia primogenitus et filij eius. Et de filiis Zerach Ichuel: & fratres corū sexcenti & nonaginta. Omnes de tribu Iudæ sub hoc numero comprehenduntur: quemadmodum postea subiungitur numerus filiorum Ben'iamini habitantium in Ierusalem, & postea numerus sacerdotum. Porro de filiis Ben'iamini: Sallu filius Mesullam filii Hodau'ie filii Hassenua. Et Iibne'ia filius Ierocham, & Ela filius Huxxi filii Mich'ri: & Mesullam filius Sephat'ie, filii Rechub filii Libni'ie. Et fratres eorum per generationes suas, nongenti & quinquaginta sex: omnes isti viri capita familiarium per domos patrum suorum.

De sacerdotibus autem: Iedah'ia & Ieho'iarib & Iachin. Et Haz'ar'ia filius Chilci'ie filii Mesullam filii Zadoc filii Merab'ioth filii Achirub, pontifex domus Dei. Iuxta Hebræum habetur. filii Achitub ducus domus Elohim. Quare iste Achitub (in quem posteritas habitas in Ierusalem reducitur) appellatus fuerit dux domus Elohim, scriptum non est expressè: tamen hinc insinuat quod ipse fuerit translator domus Dei ex Silo in Nobe: nam in cap. vigesimoprimo primi reg. legimus domum Dei fuisse in Nobe, & ibidem sacerdotem Achimelech filium Achitub tempore Saulis. De isto igitur Achitub intelligimus dici quod fuit dux domus Elohim, quia duxit domum Elohim de Silo i Nobe. Et Hada'ia filius Ierochā, filii Paschur filii Malchi'ie: & Mah'ai filius Hadiel, filii Iachzerach, filii Mesullam, filii Mesilemith, filii Immer. Et fratres eorum capita per domos patrum suorum, mille & septingenti & sexaginta: potentes fortitudine ad faciendum opus ministerii in domo Dei. Nomen est Elohim.

De Leuitis autem: Semah'ia filius Chasab, filii Hæricam, filii Chasab'ie de filiis Merari. Et Baebacar carpētarus. Hebraicē habetur. faber. Singularis enim virtus artis in isto describitur: nisi sit nomen proprium, vt aliqui Hebræi putant. & Galal & Maithan'ia filius Mich'a, filii Rich'i filii Asaph. Et Hobad'ia filius Semah'ia, filii Ghalal filii Ieduhon: et Berech'ia filius Ase filii Elcana, qui habitabat in villa Nethophathi. Et ianitores Sal-lum & Hachub & Talmor & Achiman: & fratres eorum, Sallum caput. Usque ad illud tempus in porta regis vicijsim ad orientem observabant per vicess suas de filiis Levi. Iuxta Hebræum habetur,

CAPVT IX.

341

Et hucque in porta regis ad orientem: ipsi ianitores castris filiorum Levi, sic iacet in hebreo. Et hinc habentur tria: primum quod ea quæ scribuntur hic, narratur de tempore ante captiuitatem Babyloniam: alioquin non extendisset author obseruationem ordinis ianitorum usque ad tempus suū, dicendo & hueusque. Alterū quod author libri post redditum ex captiuitate Babylonica post ordinatum diuinū cultum in Ierusalem, scripsit hæc: alioquin nō dixisset, & hucusq; ianitores castris filiorum Levi in portā regis ad orientē. Habet tertio qd post captiuitatē Babyloniacā reparauerunt non soli res, sed & nomina: appellauerūt enim portā regis vt prius appellabatur porta ad orientem. & Sallum filium Chora filii Ebiasaph filii Corach & fratres eius pro domo patris sui Corchite super opus ministerii, custodes vestibulorum tabernaculi testimonij. Parui refert quod Hebraicē habetur. custodes liminum tētorū, in idem enim reddit sensus. & familia eorum per vices castrorum domini custodiētes introitū, iuxta Hebræum habetur. & patres eorum super castra Iehouah custodes introitū. significatur enim quod & ipsi & patres eorum habuerunt officium custodiendi introitū. Et Pinchas filius Elazar erat dux eorum coram domino. Hinc clare apparet quod recenset author priscum ordinem seruatū in terra promissionis, qui postea translatus est in Ierusalē. iste enim Phinees fuit summus sacerdos: & propterea dicitur dux eorum corā domino. Et deficit, cum eo. Ita quod significatur Phinees dux super Leuitas corā Iehouah'cu eo Phinees existēte. bonitas siquidē Phinees describitur in hoc qd Deus erat cu eo Zechar'ia filius Mesel'm'ie ianitor portæ tentoris adiunctoris.

Omnis ipsi cœlesti ianitores in liminibus, ducenti & duodecimi: ipsi in villis suis recessi sunt. Hinc apparet quod author appellat habitatores Ierusalem non solum illos qui ingiter ibi habitabant, sed etiam illos qui tempore vicis suæ habitabant in Ierusalem. Leuitæ enim narrantur scripti secundum suas genealogias in propriis villis: & tamen supputantur inter habitatores Ierusalem, quia tempore vicis suæ habitabant in Ierusalem. quos constituerunt David & Samuel videnti in side sua. Iuxta Hebræum habetur. ipsos fundavit David & Samuel vides in firmitate eorum. firmitas istius ordinis à Samuele prius, & postea à Davide fundamentum habuit. Et bene nota quod non ordo, sed firmitas fundata dicitur à Samuele & Davide. Et ipsi & filii eorum in portis domus domini, & in tabernaculo vi-

PRIMI PARAL.

ebus suis. Hebraicè habetur. domus tentorij in custodis. appositiuè enim legitur, declarando custodias eorum esse in ostiis domus domini non immediatè, sed in ostiis domorum quæ erant circa tabernaculum. Quod magis declarando subiungit. Ad quatuor ventos erâr ianitores; ad orientem, occidentem, aquilonem & meridiem. Cum enim templum vnicum esset porta cōtentum, ostiarij ad quatuor mundi plagas decreti, testantur quod non de portis templi, sed de portis septi circa templum est sermo. Septuè enim illud quatuor portas habebat ad quatuor cœli plagas. Fratres autem eorum in villis suis erant, & veniebant in sabbatis suis de tempore usque ad tempus. Iuxta Hebraicum habetur. ad veniendum in septem diebus de tempore in tempus cum istis. Non dicitur quod sabbato veniebant, sed quod septimo quoque die veniebant. mutabantur siquidem singulis sabbatis secundum vices suas: sed qui venturi erant, veniebant feria sexta, in qua licebat iter agere. Et isti sunt qui in quarto libro regum cap. 11. appellati sunt ingredientes sabbati & egredientes sabbati. Vnde & hic dicitur quod fratres eorum in villis suis erant ad veniendum de tempore in tempus cum istis exituris. vicissim enim mutabantur. His quatuor Leuitis creditus erat omnis numerus ianitorum. Hebraicè habetur. Quia in side illorum quatuor potentium ianitorum, ipsi Leuita. Describitur numerus principum ianitorum, dicendo quod erat quatuor de numero potentium. & ne putaretur quod essent sacerdotes, explicatur quod isti quatuor principes erant Leuitæ. & erant super exedras & thesauros domus domini. Hebraicè habetur. & erunt super aulas, & super thesauros domus Elobim. Narratur istorum quatuor cura multiplex, & subiungitur. Per gyrum quoque templi domini morabantur. Iuxta Hebraicum habetur. Et in circumibis domus Elobim dormient. Hoc de vniuersis Leuitis ianitoribus dicitur. Et ratio loci in quo dormiebant subiungitur. in custodiis suis, ut cum tempus fuisset, ipsi mane aperirent fores. Hebraicè habetur. quia super eos custodia, & ipsi super clavem & in mane in mane. Multiplex ratio redditur, tum quia custodiæ onus erat super eos, tum quia eorum erat usus clavium ianuarum: de quo vnu subiungitur quod erat de mane in mane.

De corum grege erant. Parvi reserunt quod Hebraicè habetur. Et de eis super vasa ministerij. Leuitæ demonstrantur: narratur enim quod Leuitæ erant super vasa ministerij, in numero enim infere-

CAPVT IX.

44

inferebât ea & in numero efferebât ea. De ipsis & qui credita habebât viæ filii sanctuarij. Iuxta heb. habetur. Et de eis p̄fecti super vasa, & super omnia vasa sanctitatis. Duo genera vasorum taguntur, primum in cōmuni: alterum in specie, vasa scilicet sanctitatis. Et vtrique sub cura Leuitarum fuisse nec solum vasa sed etiâ res sacrificandæ sub eorundem cura describuntur: nā subiungitur. & super flore & vinum & olio & thus & aromata. Florem autem intellige florē farinæ qui in vulgata cōditione appellatur simila. De filiis autem sacerdotum, vnguentâ ex aromatibus consuebant. Distinguuntur officia filiorum sacerdotum ab officiis Leuitarum relativè ad ultimò narratum, videlicet aromata. dicitur enim quod officium filiorum sacerdotum erat cōponere aromata. Nec est facile fingere vocabula correspondētia hebraicis. Nam hoc in loco scribitur dūtaxat tres dictiones: prima nomen verbale, secunda nomen abstractum, & tertio aromatibus. & tam nōmē verbale quam nōmē abstractū, aromatis est: finge si potes. sed sensus est quod filii sacerdotum erat cōfuctores cōpositionis pro aromatib⁹. Et est sermo de aromatibus thymiamatis, quod offerebatur Deo intra cōplū in altari thymiamatis. Matthiū'ia autē Leuita primogenitus Sallum Corchites, p̄fectus erat eorum quae in sartagine frigebatur. Iuxta heb. habetur. in fide super opus sartaginū. Nō res stringendo tamen sartaginis nomen ad frixorium: sed frictio similia uasa intelligendo. Porro de filiis Cehabitarum de fratribus eorum erant super panes propositionis: ut nouos per singula sabbata p̄pararet. Non erat officium filiorum Cehath, p̄nere panes propositionis, sed p̄parare: hoc enim erat Leuitarum, illud sacerdotum.

Hi sunt principes cantori per familias Leuitarum qui in exercitu morabantur, ita ut die ac nocte iugiter suo ministerio deseruiriēt. Iuxta hebraicum scribitur epilogus p̄dictorum habitatiōm in Ierusalem. Tertiō enim repetitur p̄nomen isti: & primum repetuntur cantores. & isti cantores capita patrum Leuitis in cameris licentiati: quia die & nocte super eos in operi. Tres fuerunt descripti cantores principes iuxta tres filios Leui: & illos iugiter fuisse in templo dicit quia onus operis diuini cultus tam die quam nocte erat super eos. Et nisi aliquis cultus fuisse nocte exhibitus per Leuitas, non scriptum fuisse die ac nocte. Et dicuntur licentiati, hoc est licet liberi ab eneis Leuitarum ad quæ vicissim tenebantur Leuitæ,

xxij

Dēinde

PRIMI PARALI.

Deinde immediate subditur. Iste capita patrum Leuitū secundum nativitates suas. Demonstrantur prænarrati Leuitæ in tot predictis officiis quod fuerunt capita familiarium Leuiticarum secundum naturales eorum origines. Et deinceps subditur. capita ista habitaverunt in Ierusaliam Huc tendebat intentio totius istius tractatus. & demonstrantur capita omnia prænarrata. & non Leuitarum tantum.

IN Ghibbon autem cōmōratis sunt Abi' ghibbon Ichiel: & nomen uxoris eius Mahacha. Filius autem eius primogenitus Habdon: & Zur & Cis. & Bahal & Ner & Nadab. Et Gedon & Ach'io, & Zechar'ia & Mic'loth. Mic'loth autem genuit Sim'am: & etiā ipsi ē regione fratrum suorum habitauerunt in Ierusalaim cum fratribus suis. Ner autem genuit Cis, & Cis genuit Saul: & Saul genuit Ie' honathan & Malchisah & Abinadab & Eshbal. Filius autem Iehonathan Merib'bahal: & Merib'bahal genuit Micham. Filii autem Micha: Python & Melech & Thach'reah. Acham autem genuit Iah'ram, et Iah'ra genuit Halemeth & Hazmauth & Zimri: Zimri autem genuit Moza. Moza autē genuit Binham: & Rephaia filius eius, Elhasa filius eius, Azel filius eius. Azeli autē fuerunt sex filii: & ista nomina corū, Hazricam primogenitus eius & Iisnahel & Schar'ia, & Hobad'ia, & Chanā isti filii Azel. Reperitio est scriptorū in præcedenti cap. & prima quidem pars repetitur ad adiungendū ex tribu Ben'iamin nonnullos habitatores Ierusalem: secunda autē de linea Saulis, ad inchoandam historiam translationis regni de Saule in Dauidem. intendit enim author libri huius (ut scripta testantur) gesta per lineam Dauidis regum Iudæ narrare supplendo omissa in libris regum.

CAPVT X.

Pelishim autem pugnauerunt contra Israhel: fugeruntque viri Israhel à facie Pelishim, & ceciderunt interfici in monte Ghilboah. Assecutique sunt Pelishim Saulem & filios eius: & percusserunt Pelishim Ionathan & Abinadab & Malchisah filios Saulis. Et aggrauatum est prælium super Saulem: inuenientque eum sagittarii in arcu & timuit à sagittariis. Et dixit Saul ad armigerum suū, euagina gladium tuū & perfode me illo, ne veniat incircūcis isti & illudā mīhi: & noluit armiger eius, quia timuit valde: arripuit itaque Saul gladium & cecidit super eum. Vidiisque armiger eius quod mortuus esset Saul: & cecidit etiam ipse super gladium & mortuus est. Historia

CAPVT X.

347

Historia hæc sumpta est ex ultimo capitulo primi regum: propter quod pauca restant declaranda. Mortuusque est Saul & tres filii eius, & tota domus illius pariter concidit. Intellige hanc simultatem non secundum terminum, sed secundum viam; hoc est quod ex tunc cœpit ruina totius domus Saul, quæ terminata est occiso post aliquot annos Isboseth. Author enim libri taciturus regnum Isboseth, narrat ruinam domus Saulis simul cum Saulis morte. Quod cum vidissent viri Israhel qui habitabant in campis tribus, fugerunt: & Saul ac filii eius mortui, dereliquerunt vrbes suas, & huc illucque dispersi sunt. luxta Hebraicum legendum est. Et viderunt omnes viri Israhel qui in valle quod fugerunt, & quod mortuus est Saul & filii eius: & dereliquerunt ciuitates suas & fugerunt, venerante Pelishim & habituierunt in eis. Sententia est clara & tractata ubi supra.

In crastino autem post mortem Saul, venerunt Pelishim ad expoliandum interfictos: & inuenerunt Saul & filios eius iacentes in monte Ghilboah. Spolauerintque eum & tulerunt caput eius & arma eius: & miserunt caput Saulis in terram Pelishim per circumlitum ut ostenderetur idolorum templi. Hebraice habetur. ad annunciatum sculptilibus eorum & populo. & significatur non simplex nunciatio, sed lata atque festiva. Et posuerunt arma eius in domo Dëi sui: & caput eius affixerunt in domo Dagon. Tandem post circumlatum caput Saulis, affixum est in templo Dagon in honorem ipsius Dagon, tanquam ab eo subactus fuerit rex Saul.

Audiret autem tota Iabes Ghilhad, omnia que fecerant Pelishim Sauli. Surrexerintque omnes viri fortes: & tulerunt corpus Saul & corpora filiorum eius. proculdubio absque capite Saulis. & attulerunt ea in Iabes: sepelierintque ossa eorum sub arbore in Iabes, & icinuauerunt septem diebus.

Mortuus est ergo Saul propter iniquitates suas, eo quod præcavatus sit mandatum domini quod præceperat & non custodierit illud. Author libri hæc non scripta in libro regum addidit: verum Hebraicè habetur. Et mortuus est Saul in mentiri suo quoniam mentitus est in lebouah, super verbum Iehouah quod non custodiuit. Et est proculdubio sermo de sermone diuino per Samuelem directo ad Saulem de destruendis etiam rebus Hamalec: ut scribitur 1. Reg. cap. 15. Deinde immediate subditur. & etiam ad interrogandum in Pyhone ad querendum. Et non quaesuit in Ichonah, & interfecit eum. Alterum peccatum Saulis

Xx iii scriptum

PRIMI PARALI.

scriptum 1. Regum 28. Affertur causa mortis eius. Nec ea-
ter quæstione ultimum verbum, videlicet & non quæsivit in
Iehouah: quoniā 1. Reg. 28. expressè dicitur, & cōculuit Saul
dominum: quomodo ergo verificatur quod hic dicitur & nō
quæsivit dominum? Solutio est quod quia Saul non perseue-
ravit querendo à domino, sed diuerteit ad quæredūm in Py-
thonem, ideo verificatur quod non quæsivit in Iehouah: reli-
gio enim non perseverans non est religio. & trāstulit regnum
ad David filium Iisai. in morte quidē Saulis inchoatiū (quia
tunc incepit David regnare in Hebron) infra octo autem
annos complete.

CAPVT XI.

 Ongregatus est autem totus Israel ad David in Cheb'ron dicendo: ecce ostium & caro tua sumus. Heri quoque & nudi assertius eriam cum esset rex Saul, tu eras educens & reducens Israelem: dixitque dominus Deus tuus tibi, u pases populum meum Israel, & tu eris dux super eum. Festinat author ad Davidis regnum, inchoando ab initio re-
gni Davidis super totū Israel: quod fuit post septem annos
a morte Saulis. Gesta igitur scripta. 2. Reg. 5. incipit nar-
rare: quæ ibi declarauimus. Veneruntque omnes seniores Israel ad
regem in Cheb'ron, & percusserunt cum eis David sedes in Cheb'ron
coram domino: uxeruntque Davidem in regem super Israel, iuxta
sermonem domini in manu Schemueli. ut hinc intelligamus popu-
lum innixum autoritati diuinæ per Samuelem manifestate,
inxisse in regem Davidem.

A bīque David & totus Israel in Ierusalaim, hæc est Iobus:
vbi erant Iebusæ habitatores terre, statim enim David ad
constituendum sibi regiam sedem in Ierusalem properauit.
Dixeruntque habitatores Iebus Davidi, non ingrediens hic. Hinc
clarè habetur Iebusæos negasse Davidi ciuitatem, vel saltem
arcem Sion. ex eo enim quod subditur. & cepit David arcem
Sion, ipsa est ciuitas David. nec dicitur & cepit Ierusalem, in-
nuitur qd de arce erat quæstio: volebant enim Iebusæi tenere
arcem, quam tamen præcipue petebat David. Dixit autem
David, omnis percussiens Iebuseum in primis, erit princeps & dux.
Iuxta Hebræum habetur. erit in caput & in principem, his enim
titulis intelligimus principem totius exercitus significari.
& ascendit in primis Iob filius Zeru'ie, & fuit in caput. Ecce
quomodo

CAPVT XI.

348

quomodo Iob lucratus est principatum.

Habuit autem David in arce: & idcirco vocauerunt eam ci-
vitatem David. Aedificauitq; ciuitatem à circumitu, à Millo usque
ad gyrum; Iob autem reliquum ciuitatis extruxit. Hebraicè ha-
betur viuificauit. De eadem ciuitate Sion est sermo ita quod
rex ædificauit in monte Sion palatium suum, & muniuit ple-
nitudinem montis circumcirca muro: reliquum autem spa-
tium vacuum montis Sion viuificasse dicitur Iob, eo quod
repleuit illud habitatoribus. Nec per hoc negatur quod ibi-
dem etiam ædificauerit domum Iob iam princeps totius
exercitus, vt ibi esset cum militibus ad custodiam regis.
Et iuit David cundo & crescendo: & dominus exercitum erat
cum eo.

Hec principes virorum fortium David, qui adiunuerunt eum, vt
rex fieret super omnem Israel: iuxta verbum domini quod lo-
cucus est ad Israel. iuxta Hebræum particula ista sic legitur. Et
isti principes potentium qui Davidi, qui inualuerunt cum eo in regno
eius cum toto Israel ad faciendum regnare ipsum: iuxta verbum Ie-
houah super Israel. Modū quo adimpletus est diuinus sermo
de regno Davidis super Israel describit: simul narrando cau-
sam quare subiuncti fuerunt principes potentiu in regno Da-
vidis. ex eo enim qd isti simul cu David ex una parte inua-
luerunt partim armis partim attractu contra totū Israel in il-
lo septennio quo David regnauit in Hebron, & totus cona-
tus eorum tendebat ad hoc vt David regnaret super Israel,
ideo fuerunt principes potentium. Et iste numerus potentium
Davidis: Iesbaam filius Ahamoni princeps inter triginta. Ex secū-
di regum cap. vigesimaliter sumpta sunt subiuncta. verum
iste primus qui hic nominatur Iesbaam filius Ahamoni, He-
braicè autem Iasobham filius Chachmoni (vt diximus in 23. ca.
secundi regum) si vt litera sonat Iasobham nomen est propriu
istius primi viri in catalogo fortium Davidis, manifestatur
hic quod illa verba scripta in libro secundo regum (videlicet
sedens in sede sapientificans me) non erant interpretanda,
quia erant nomina propria istius viri: nam quod hic scribitur
Iasobham filius Chachmoni, & interpretatur sedet in populo
filius sapientificantis me, ibi scribitur Ioseph Basebeth Tha-
chchemoni, & interpretatur sedes in sede sapientificabit me.
hæc enim in vnum atque idem concurrere facilè patet. Nec
obstat quod ibidem subditur ipse Hadino Heznita: quia 'oi
Xx iiiij aliud

allud nomen eius explicatur adiuncto nomine patrio. Et confirmatur esse nomen proprium: quia in sequenti capitulo vir antepenultimus priusquam narrentur viri de Ghaditis, qui in vulgata editione vocatur Iesbaā, in Hebraeo vocatur Iasobham: quo nomine iste caput omnium fortium hoc in loco vocatur. quo sit ut non incertum reddatur an primus hic sit unus & idem cū primo ibi nomina enim diuersa iam monstratum est in octavo cap. non cogere ad intelligendam diuersitatem virorum. Quod autem dicitur princeps inter triginta, Hebraicē habetur, princeps fortium. Simili titulo insinuitur primus in catalogo fortium in libro regum, dicendo caput tertij. ipse levauit lanceam suam super trecentos interfertos vice una. In libro regum scribitur quod octingentos occidit una vice. diuersus enim occidendi modus interuenisse videatur. Ita quod occisorum numerus comprehendit octingentos; modus autem occidendi lancea comprehendit duntaxat trecentos. nam hic clarè dicitur quod elevauit lanceam suam super trecentos occisos vice una: ibi verò duntaxat dicitur quod occidit octingentos vice una. alio enim modo occidit reliquos eodem impetu.

Et post eum Elazar. Similiter iste scribitur in libro regum secundo loco. filius patni eius Ahoites. Iuxta Hebraū habetur. filius Dodo Achochi: ipse inter tres potestes. Etiā in descriptione istius nonnulla interuenit dissonantia: quia in libro regum iste scribitur filius Dodo filii Achochi, ita quod narratur eius tam pater quam auus: hic autem mentio fit patris dicendo filius Dodo, sed non subiungitur filii Achochi. sed dicitur Achochi, vel quia subintelligitur filii, vel quia Achochi nō erat loci aut cognitionis & nō aui: & propterea nō oportuit interponere dictiōnēm filii. Incerta sunt hæc, & vt possumus diuinamus. Ipse fuit cum Dauid, in Pasdāmim, & Pelishim congregati erat ibi ad prælium, & erat ager regionis illius. Puto interpretē vertisse Hebraicā phrasim qua scribitur. & fuit pars agri pleni. vt nomine partis intelligatur regio, & significetur quod regio illa erat cultus ager. Quod autē iudicatur. hordeo. & in libro regum dicitur lentibus, non contrariantur: quia diuersæ sunt historiæ. nam ibi scribitur ager plenus lentibus in gestis tertij, hic autem ager plenus hordeo in gestis secundi: vt patet intuenti contextum. fugeratq; populus à facie Pelishinoram. Hic stetit in medio agri & defendit cum, & percus

percussit Pelishinos. Iuxta Hebraū habetur. Et steterunt in medio partis & fecerunt quadrare eam, & percusserunt Pelishinos: & saluavit dominus saluatione magna. Quia dictum est iste erat cū Dauide, ideo subiunctum est in numero plurali steterūt. Admirabilis ramen actio istius narratur in libro regum: & propterea ipsi attribuitur victoria hæc.

Descenderunt autem tres de triginta principib; super petram ad Dauid ad speluncam Hadullam. Omititur tertius Samma scriptus in libro regum: & transitur ad tres præcipios inter triginta. & Pelishim castrametati erant in valle Rephaim. Porro Dauid tunc erat in præsidio. Hebraicē habetur, in arce. Sed patui refert: quia arcem naturalem quam rupes efficiebat significat munitam præsidio militum. & præfectus Pelishinorum tunc erat in Beth'lehem. Desideravit autem Dauid & dixit: quis propinabit mihi aquā de putoe Beth'lehem quæ est in porta? Irruperuntq; tres in castra Pelishinoru, & hauserunt aquam de putoe Beth'lehem qui est in porta, & portaverunt & attulerunt ad Dauid: & noluit Dauid bibere eam, sed libavit eā domino. hoc est obtulit illam in sacrificio diuino. Et dixit, absit ut in conspectu Dei mei hoc faciā. Iuxta Hebraū habetur, absit mihi ab Elohe meo à facere hoc. Horrētis sunt verba, deinde immediatè sequitur, num sanguinem virorum istorum bibam in animabus eorum, quia in animabus suis attulerunt eam? & noluit bibere eam. Rationē reddit manifestam quare horruerit bibere aquam illam. Et ex hac ratione insinuat quod Dauid non eo animo dixerit se cōcupiscere aquā Beth'lehem vt viri sui irent pro ea: sed vt cōtingit aperuit appetitum suum, tres autē viri iniūsi cōfidentes in agilitate, fortitudine & dexteritate iuerūt in animabus suis: hoc est exponētes proprias vitas periculo. hæc fecerūt tres potentes.

Abisai quoque frater Ioab ipse fuit caput trium, & ipse levauit lanceam suam super trecentos interfertos: & ipse erat inter tres nominatissimis. Hebraicē habetur. & enim inter tres, hoc est inter istos tres præcipios erat nominatus nomine gloriæ. Inter tres secundus inclitus, & princeps eorum. Hebraicē habetur. Ex tribus in duobus est honoratus, & fuit eis in principem. Explanatur gloria Abisai inter tres præcipios: quod videlicet inter eos non erat secundus aut tertius, sed inter ipsos tres honorabatur à duobus: & ad hoc magis explicandū subiungitur quod fuit eis in principem. veruntamen vsque ad tres primos non pertinet. Hebraicē scribitur. & vsque ad tres non venit. Fuit enim

PRIMI PARALL.

enim Abisai princeps secundæ trinitatis fortium, non tamen peruenit ad primam fortium trinitatem, quæ simpliciter & absolute constituebat tres fortis: quorum duo duntaxat sunt hic nominati.

Bena'ia filius Ieho'iadah filii viri fortitudinis magnus operibus de Cabzyl: ipse percussit duos Arel Moab. Dic̄tio Hebraica relicta est: cū potuisse interpretari leones, hoc est viros fortis ut leones. & ipse descendit & percussit leonem in medio puto in die nūis. Et ipse percussit virum Aegyptiū virum mēsure quinque cubitorum, & in manu Aegyptiū erat lancea sicut lictoriorum sextoriū: descenditq; ad eum cum virga, & extorso lanceam de manu Aegyptiū & occidit eum lancea eius. Hac fecit Benā'ahu filius Ieho'iadah: qui erat inter tres robustos nominatisimū. Hebraicē habetur. & cī nomen inter tres potentes. in quorum numero erat Abisai. Inter triginta primus. Hebraicē habetur. Ex triginta ecce ipse honoratus. Recole quōd ista trinitas in principio narrata est descendisse ex triginta: & propter ea iste Benaias gloriōsus in hac trinitate, honoratus dicitur ex triginta. veruntamē usque ad tres non peruenit. De prima trinitate est sermo. posuitque cum David ad auditionem suam.

Potentes autem viribus: Has'dael frater Ioab, Elchanan filius Dodō de Beſl'lechem, Sammoth Charorites; Chelex Pelonites. Hirai filius Hicces Thecohites; Abihezer Hanthothites. Sibbechai Chufabites; Hilai Achobites, Maherai Netophahites; Cheled filius Bahana Netophahites, Ithai filius Ribai de Ghibba filiorum Bin'iamin: Benā'ia Pir'bathonites. Churai de torrentibus Gahas: Abiel Harbathites. Hazmauth Bacharumites; El'iach'ba Sahalbonites. Filii Sem Ghizonites; Ionathā filius Sage Hararites, Achi'am filius Sachar Hararites; Eliphil filius Ur, Chepher Mecherathites; Achi'ia Pelonites. Chezyr Charmelites; Naharai filius Ezhai. loel frater Nathan: Mibchar filius Hageri, Zelec Hammonites; Naharai Berothites, amiger Loab filii Zer'ia. Hirai I'therites. Ghabrāb I'therites. Uri'ia Chiithites; Zahab filius Ach'lai. Hadina filius Sizo, Reubēita caput Rubenitarum, & cum eo triginta. Chanān filius Mahacha, & Iosaphat Mithnenites. Huzā'ia Hapherathites; Samah & Iehiel, filii Chotam Haroherites. Iedhael filius Simri: & locha frater eius Thizites, Eli'sel Machauim, & Ieribai & Iosau'ia filii Elnaham: & Iithma Moabites, Eli'sel & Hebed & Iahafel Mexoba'ia.

CAP.

350

CAPVT XII.

Hi sunt autem qui venerunt ad David in Zic'lag cum adhuc fugeret. Paruirefert quōd hebraicē habetur. adhuc retentū à facie Saul filiū Cis. tempus enim quo David retinebat seipsum in Siceleg Pelisthinorū timens Saulē describitur. qui erant fortissimi & egregiū pugnatores. Hebraicē habetur. & ipsi inter potentes auxiliatores belli. Non qualescunque adiutores, sed potentes describuntur. Armati arcu, dextra & sinistra iacentes lapides: & sagittas arcu. Magna laus istorum in vsu arcus tā emittendo lapides quām sagittas scribitur, dum vtraque manu ad hāc scribuntur vti. de fratribus Saul. hoc est vt exponitur subiungendo. ex Bin'iamin. ut hinc intelligamus etiam viuēte Saulē proprios Saulis contribules iuisse ad Dauidem. Dux Achiherez & Ios filiū Semaha Gibbathiges, & Ieziel & Pelet filiū Hazmauth: & Be'racha, & Iehu Hanthothites. Et Iismah'ia Ghibbonites, potens in triginta & super triginta. Iste ideo inter triginta & super triginta laudatur potens, ut intelligamus quōd ipse erat unus ex tribus secundæ trinitatis. & Iirm'ia & Iachaziel & Iochanan, & Iozabād Ghederathites. Elhuza'i & Ierimoth & Behal'ia & Semar'iahu: & sephatiah Charuphites. Elcana & Iisi'ahu & Hazar'el & Iohexer & Iosobham Chorchites. Et Iohela & Zebad'ia, filii Ierocham de Ghedor.

Et de Ghadiis transfigerunt. Hebraicē habetur. diuisi fuerunt ad Dauid, sed sententia in idem reddit: significatur enim quōd isti segregauerūt se à regno Saulis eundo ad Dauidem profugum à facie Saulis. cum lateret in deserto. Hebraicē habetur. ad arcem in desertum. Intellige tamen arcem naturalem quam rupeſ facit. potentes fortitudine, viri exercitus ad bellum, vitentes clypeo & lancea: facies leonū facies eorum. impauidi ac terribiles. & quasi caprea in montibus ad festinādum. Hezer dux: Hobad'ia secundus, Eli'ab tertius. Mijmanna quartus, Iirm'ia quintus. Hattai sextus. Eliel septimus. Iochanan octauus. Elzabad nonus. Iisi'ahu decimus. Machbanai undecim⁹. Isti de filiis Ghad duces exercitus. Omnis excludit ambiguitas totius præcedentis clausulæ quo ad genus prænarratorum virorū. nouissimus centū militibus præerat, & maximus mille. Iuxta Heb. habet. unus per centū parvus, & magnus per mille. Sic iacet in Hebreo absq; nullo adiuncto verbo. iungitur. n. hæc clausula p̄cedēti: videlicet isti ex filiis Ghad duces exercit⁹, vn⁹ p̄ cētū parvus

parvus & magnus per mille. Et est sensus quod omnes isti vndeclim fuerunt duces exercitus de numero eorum quoram vnuquisq; erat centurio si erat parvus dux, aut erat tribunus si erat magnus dux: intelligendo per tribunum praefectum mille militibus. Vbi prudens lector aduerte duo. alterum quod narratur ducatus istorum, non qui tunc (quando David fugiebat a Saule) sed qui posteaquam David factus est rex datus est eis. alterum quod hinc insinuatur ordo exercitus seruatus in regno Davidis: videlicet quod duces exercitus sic decreuit ut minimi essent centuriones, maximi autem tribuni. Et per hos intellige multos gradus mediorū ducum exercitus. Iste sunt qui transferunt larden mense primo, & ipse plenus erat super omnes ripas suas: & fugauerunt omnes qui morabantur in vallibus ad orientem & occidentem. Laudantur isti Ghadiæ: sed quando & quomodo res hæc gesta fuerit, nescitur.

Venerunt quoque de filiis Ben'iamin & Iudeæ ad presidium in quo morabatur David. Hebraicè habetur. usque ad arcem ad Davidem. Significanter describuntur ex Ben'iamin & Iuda simili venientes ad Davidem usque ad ipsam rupem in qua se seruabat David profugus, ad insinuandum quod ex improviso venerunt isti. Egressusq; est David obuians eis. Hebraicè habetur. Et exiit David ad facies eorū. venerat enim usque ad ipsam rupem. & ait. Hebraicè habetur. respondit & dicit eis. inquirentibus enim cum respondit. si pacifice venisti ad me ut auxiliemini mihi, cor meum iungatur vobis. Legendum esset. iungetur. affirmat siquidē David se ex corde complexurū eos si adiutores veniunt. si autē insidiamenti mihi pro aduersariis meis. Hebraicè habetur. & si ad decipendum me angustatoribus meis absque iniquitate in palmis meis. subaudi tradituri me venistis. Dubitabat enim David: & militari libertate vtitur in primo sermone cum eis. videat deus patrum nostrorum & iudicet. Hebraicè habetur. videbit Elohe patrum nostrorum & increpabit. Reseruat Deo iudicium cordiū & vindictam. Ex quibus verbis apparer quod David vtro fuerint corde suscipiebat eos: prædicédo tamen eis diuinā vltionem immo increpationem, si cum dolo veniebant. Spiritus vero domini induit Abisai principem inter triginta. Iuxta Hebreum habetur. Et spiritus induit Hamasai principem potentium. Non dicitur spiritus domini, sed spiritus absolute. significatur enim interno quodam impulsu prodecente extra actum Hamasai: & propterea describitur

bitus spiritus induens. spiritus quidem ad significandum internum impulsum: induens autem ad significandum exteriorem illius apparentiam diffusam in corpus ipsius Hamasai: & ait. Hoc addidit pro claritate interpres. tu sumus ô David & tecum futuri fili Isai. Hebraicè habetur. tibi David & tecum fili Isai pax. Respondet pro omnibus iste accensus benignitate Davidis & illius fiducia in Deo. Deinde immediate sequitur. pax tibi & pax adiutori tuo, quia adiunxit te Elohe tuus. Tertio imprecatur pacem cum tali gestu ex interno spiritu prodecente, ut David crediderit eos venire coadiutores sibi. Suscepit ergo eos David & constituit eos principes turmae. Hoc potest verificari ex tunc, rectius tamen intelligitur verificari post asseditum regnum: quoniam tunc tā pauci erant ut tot principibus decesserit subditi. nunquam enim viuente Saule numerus militum Davidis excedit sexcentos: ut libri regum historia narrat.

Porro de Menasse transfugerunt ad David cum veniret cum Pelishbinis contra Saul ad prælium, & non adiunxit eos: quia inito consilio remiserunt cum principes Pelishbinorum dicendo, in capitibus nosfri transfugiet ad dominum suum Saul. Historia hæc narrat 1. reg. 29. Quando reuersus est in Zic' lag transfugerunt ad eum de Menasse Hadna, & Iozabed, & Iedihael, & Michael, & Iozabed, & Elihu, & Zilethai. Declarando quod dixerat cum veniret, explicat quod illud quando non fuit in eundo ad castra, sed in eundo ad Siceleg: quod pro claritate maiori interpres dixit reuersus est. Narratur ergo quod isti de Menasse venerunt ad Davidem tempore quo David abiectus à satrapis Pelishbinorum ibat in Siceleg, principes militum in Menasse. Iuxta Hebreum habetur. principes milliū qui in Menasse. Magni valde describuntur isti, qui capita non centum, sed millium dicuntur. Et ipsi præbuerunt auxilium Davidi aduersus latrunculos. Hebraicè habetur. societatem, sed proculdubio significatur cœtus Hamalecitarum qui incenderant Siceleg, quem persecutus est David: ut scribitur 1. reg. 30. quia potentes fortitudine omnes ipsi: & facti sunt principes in exercitu. Intellige post asseditum regnum. Qui iam tempore per singulos dies veniebant ad David ad auxiliandum ei. Tria tempora Davidis tractat author hic. primum quo viuente Saule David profugus seruatus est & auctus: & de hoc haec tenus habitus est sermo. Alterum tempus quo mortuo Saule David regnauit in Hebron, longaq;

longaq; concertatio fuit inter domum Dauidis & domum Saulis: & de hoc tempore dicitur quod per singulos dies veniebant ad Dauidem. *vñquidem sicut grandis numerus quasi exercitus Dei.* Hebraicē habetur. *vñque ad castra magna sicut castra Elohim.* Augmentum militum tantum narratur quod pertinet ad constituendum exercitum sicut exercitum Elohim. Etsi nomine Elohim intelligimus Deum, augmentū hoc intelligendū est vñq; ad tēpus quo Dauid factus est rex totius Israel inclusus: quoniam tūc habuit castra sicut castra Dei quę habuerat tam Moses quam Iosue. Si vero nomine Elohim intelligimus potentes principes, sensus est quod quotidie augebantur milites Dauidis in Hebron regnantis, vñque adeo ut constituerent exercitū iuxta magnitudinem exercitus soliti apud principes mundi. significatur enim per hoc q; augmētū fuit tantum q; peruenit ad quantitatē ordinariū exercitus.

Istī sunt numeri capitum expeditorum ad exercitum, quæ venerunt ad Dauid in Cheb'ron, vt transferrent regnum Saul ad eū in iuxta verbū domini. Filii Lebude portantes clypeum & hastam: sex milia & octingenti expediti ad exercitū. De filiis Simhon potentes fortitudine ad exercitum: septem millia & centum. De filiis Levi quatuor millia & sexcenti. Et Ieho' iadah duarū de stirpe Abaron: & cū eo tria millia & septingenti. Tertium tēpus (videlicet quo Dauid post septenī in Hebron cōstitutus est rex super vniuersum Israel) tractatur. Et Zadoc puer egregia, indols. Hebraicē habetur. puer potens fortitudine: & dominus patris eius, principes vīgintiduo laudatur enim tum à propria persona, tum à tot principibus domus paternæ. De filiis autem Ben'iamin fratribus Saul tria millia: magna enim pars eorum adhuc sequebatur domum Saul: Hebraicē habetur. & adhuc multitudo eorū custodientes custodiā domus Saul. Ratio redditur paucitatis eorū qui venerunt ex tribu Ben'iamin ad cōstituendum Dauidem regem: quia multitudo virorum militarium illius tribus etiā non pugnaret aduersus Dauidem, seruabant tamen adhuc familiam Saulis, tanquam illam cui ex successione debebatur regnum. viuebat enim tunc filius Ionathæ Mephiboseth. De filiis vero Eph'raim, vīginti millia & octingenti: potentes fortitudine, viri nominati in cognationibus suis. Et ex dimidia tribu Menas̄is, decem et octo millia: qui nominati fuerunt per nomina ut venirent ad constituendum regem Dauidem. Et de filiis Iisachar viri eruditissimi qui nō uerant singula tempora, ad precipiēdum quid facere deberet Israēl.

Hebraicē

Hebraicē habetur. scientes intelligentiam temporibus, ad sciendum quid faciet Israel. Prudentia ascribitur filiis Iisachar politica: qua videlicet tanta intelligentia vigebant ut secundum tempora scirent quid expediret vniuersio Israeli. est enim prudētia circa singularia: ac per hoc prudentia politica circa singularia communia reipublicæ. principes eorum ducenti, omnis autem reliqua tribus consilium eorum sequebatur. Hebraicē habetur. & omnes fratres eorum super os eorum. Fratres eorum Israëlitas intellige adhærentes consilio sapientū de tribu Iisachar. Et hinc insinuantur duo. alterū quod istorum prudentiæ nō est vīsum infra illud septenī concurrere tribus Israēl ad cōstituendum Dauidem regem: alterū quod post septenī cōfuerunt isti prudentes ut omnes tribus conuenirent in Hebron ad cōstituendum Dauidem regem, propter hoc enim narrantur duo: & quod ipsi venerunt ad Dauidem, & quod ex ore eorum p̄pendebat omnis Israēl. De Zebulun egredientes ad exercitum dispositi ad prælium in omnibus armis bellicis quinquaginta millia: & ad ordinādum sine corde dupli. Et de Naphthali principes mille: & cum eis cū clypeo & lancea triginta septem millia. Et de Danis preparati ad præliū, vīgintiōcō millia & sexcenti. Et de Aser egredientes ad exercitum & in acie prouocantes. Hebraicē habetur. ad ordinādum bellū. hoc est ad ordinē prælii sustinendum periti seu exercitati. non parua siquidem militum laus est præstante sistere in ordine quadrageinta milia. Et de trans Iarden de Reubenis & Ghadiis & dimidia tribu Menas̄is cum omnibus armis exercitus bellici, centum & vīginti millia.

Omnis isti viri bellatores et expediti ad pugnandum. Hebraicē habetur. viri belli cultores ordinis. proculdubio militaris. corde perfēctō venerunt in Cheb'ron ad cōstituendum regem Dauid super totum Israel: & etiam omnes reliqui ex Israēl uno corde erant ut rex ficeret Dauid. Ex eo quod præmissum est multitudinem tribus Ben'iamin adhuc mansisse in custodia domus Saulis, significatur nomine residui Israëlis vniuersitas Israëlitarum qui remanserant in propriis domibus præter prænarratos ex tribu Ben'iamin: qui tamen post factum (post constitutum Dauidem regem) vertentes necessitatē in virtutem, acquieuerunt aliis obediendo Dauidi. Fuerintque ibi cum Dauid diebus tribus comedentes & bibentes: præparauerant enim eis fratres eorum. Et etiam propinquū eis vñque ad Iisachar et Zebulun.

C.

PRIMI PARALI.

& Napthali; afferebant panem in asinis, et camelis, & mulis, et bo-
bus, escam farine, palatas, & ruam passam, & vinum, et oleum, &
boves & oves in multitudine: quia latitudo erat in Irael.

CAPVT XIII.

Non sit autem David consilium cum tribunis & centurio-
nibus, cum omnibus ducibus. Et ait ad totum ceterum I-
rael. Ceterus Irael appellatur senatus omniū prin-
cipum Irael qui erant apud regem in concilio: nā
eis proponit conuocationem populi Irael. si placet vobis &
& domino Deo nostro egreditur sermo quē loquor luxa heb. habe-
tur. si super vos bonū & à Iehouah Elohe nostro. sic iacer in he-
braeo absq; vlo verbo. Et est sensus. si q; ppono habet vtrūq;
videlicet & q; est vobis bonū, & q; est à Deo: hoc est si cete-
ris hoc cōducere vobis & esse cōforme diuinæ voluntati. De-
inde immedieate sequi. mittamus. Deficit vna dictio. disidemus;
mittemus ad fratres nostros residuos in omnib; terris Irael. Modū
mittēdi significat verbo diuisionis: vt videlicet diuidātur nū-
cii ad diversas partes: mittendi: multitudo enim nunciorum
per hoc insinuatur. Residui autem appellantur militares viri
electi: erāt enī residui relativē ad ceteriones & tribunos qui
erant cū Dauid. Testatur enim historia secūdi lib. reg. ca. 6.
quod cōgregauit Dauid ex hoc concilio triginta millia elec-
torum virorum. Ipsi ergo appellantur hic residui in vrbibus
Irael. & ad sacerdotes & Leuitas qui habitant in ciuitatibus sub-
urbanorum suorum: & congregentur ad nos. Et reducamus arcam
Dei nostri ad nos. Nomen est Eloha. Et significanter dicit
arcam, ad differentiam tabernaculi facti à Mose: de cuius
translatione nihil dicit. nō enim requisivimus eam in diebus Saul.
Nulli facimus iniuriam: si enim tempore Saulis regis requi-
siuissimus arcam Dei, collocantes eam alicubi: iniuria forte
fieret tum regi, tum Iraeli, tum loco: sed quia nūquam tem-
pore Saulis regis requisita est arca vt collocaretur alicubi,
ideo nulli sit iniuria transferendo eam ad nos in Ierusalem.
Et hinc insinuatur quod arca nullibi habuit māsionem post
percussionem Bethsēmarum nisi in ciuitate syluarum: ibi
enim inuenit eam rex Saul, & ibi dimisit eam.

Et dixit totus ceterus vt ita fieret: placuerat enim sermo omni po-
pulo. Iuxta Hebræum habetur. quia rectum verbum in oculis
totius populi. Concordis responsonis ratio redditur, quia au-
dita à populo huiusmodi futura translatio visa est recta. Con-
gregauit

CAPVT XIII.

33

gregauit ergo Dauid cunctum Irael. in triginta millibus electis:
vt liber regum aperit. à Sichor Aegypti. Fluuius Aegypti cō-
terminus regno Irael significatur. vsq; ad introitum Chamath:
ad ad lucendum arcā Dei. Nomen est Elohim. de Cir' iath' ie-
harim. Nomen est ciuitatis, latine ciuitate syluarum. Et ascen-
dit Dauid & totus Irael ad collēm Cariathiarum. Iuxta He-
bræum habetur. in Bahalam ad Cir' iath' ieharim que Iehudæ:
In. 2. reg. ca. 6. diximus Bahala nomina esse regionis seu di-
strictus in quo erat ciuitas syluarum: ita quod nominatus lo-
cus & à regione & à ciuitate. ad faciendum ascendere inde arca
Dei domini. Heb. habetur. Elohim Iehouah seffor Cherubino-
rum. Alias redditia est ratio nominum, & quare dicatur sedē-
tis super Cherubim. vbi inuocatum est nomen eius. Hebraicē
habetur. cuius vocatū est nōmen. Et est ordo literæ ad faciendum
ascendere inde th̄gām Elohim cuius vocatū est nōmen Ie-
houah seffor Cherubinot. Elohim siquidem nōmen cōmu-
ne erat diis omnibus. & ideo ad aliorum deorum differētiam
dicitur cuius vocatū est nōmen Iehouah (hoc est fons essen-
di) sedens super Cherubinos. Et cautē non dicit qui est, sed
cuius vocatū est nōmen: eo quod nec ipsum nōmen terra-
grammaton significat Deum sicuti est, eo quod nō tam ipse
quā multiplex nōmen eius notum est nobis. Imposueruntq; ar-
cam Dei super plaustrū nouum de domo Abinadab. Dictio inter-
pretata Dei est nōmen Elohim: & idem nōmen tepe: itur cum
subiungitur corā Deo. Huxza anīc & Ach'io minabāt plaustrū.
Porro Dauid & totus Irael ludebant corā Deo in omni virtute: et
in cantis, et citharis, & psalteriis, et tympanis, & cymbalis, & tu-
bis. Veneruntq; vsq; ad aream Chidon. Non te moueat q; in li-
bro regum scribitur ad aream Nachon: eadem enim area hic
& ibi significatur diuersis nominibus. & extendit Huxzam a-
num suam ad tenendum arcam, hos quippe lasciuens pavulum in-
clinauerat eā. Iuxta Heb. habet. quia declinabat boves. Expe-
ctauit deus punire peccatum vsquequo effectus peccati palā fieret.
peccatum siquidem commissum est cū arca posita est ve-
henda super plaustrum (vpote quā vehi debebat super hu-
meros Leuitarum) sed distulit deus punitionē vsque ad sensibilem
effectum peccati: quando videlicet ipsa arca inelti-
nati cœperit propter boves trahentes.

Iratus est itaque dominus. Deficit vna dictio: legendū est. Et
iratus est furor Iehouah in Huxzam. Instar furoris describitur

Yy punit